

5. §. 2. Est igitur Jus PROHIBENDI, quantum ad opifices attinet, Facultas moralis, Collegiis rite constitutis ex vi privilegii sui competens, ad cæteros, qui non sunt de illo corpore, ab usu & exercitio illorum quæ ad eandem artem pertinent, arcendos, opificiorum
6. promovendorum gratiâ concessa. *Collegiis* inquam: Dantur nim. & alii, qui, ut singuli etiam, alia jura cum exclusione cæterorum, v.g. venandi, pascendi, Juris dicendi & sim. nacti sunt. Diximus: *quantum ad opifices attinet*; quia sunt & mercatorum, braxatorum, aliaque forsitan plura collegia, simili potestate legitimâ prædita, ad effectum aliquid agendi cum exclusione aliorum, & consequ. illos
7. cohibendi, impediendive: Sed non ita sterile est argumentum nostrum, ut pro nanciscenda scribendi copia quidvis obvium arripere oporteat: quare, transeant nunc cætera, de Opificibus thema esto. Subjectum activum, Collegia integra sunt, ac per ea, singuli qui sunt de Collegio: Subjectum passivum innuimus per *cæteros qui cum de collegio non sunt* aliquid tamen de juribus ipsius arrogare sibi. Diximus porro: *Vi Privilegii*: ad innuendam causam efficientem, quia utrique, tam Universitas quàm singuli, non suâ sed legis autoritate, quæ conquerentes de turbationibus atque invasionibus tuetur, & remedia in jure proposita accommodat, isthòc beneficiò utuntur. Per ea quæ ad certam artem pertinent, intelligimus Objectum; suntque actûs cæteroquin liciti, atque ante id hæc meræ facultatis, nunc collegio attributi; ad majorem artis exercendæ
9. fructum pertinentes. Unde quoque per verba: *opificiorum promovendorum*: causam finalem exaudimus; omnia enim tendunt ad opificiorum incrementum; quanquàm in fine salus quoque & sufficientia Reip. exeat: dum res artificialia in æquilibrio cum reliquis conservatur. Ratio formalis consistit in *vi prohibitiva* actuum contrariantium, non illa privata & sibi sumpta, sed rite & à superiori concessa. Efficiens igitur Princeps est, & quicumque
10. per subordinationem ad concessionem *privilegii* est aptus. Consideratur autem illa Facultas, quantum ad rem opificiariam attinet, modò *passivè*, quatenus aliis adversum collegia aut singulos collegiorum agendi prohibendive jus adseritur; quo de *infra* suo ordine & locò: *c. ult.* modò *activè*, quatenus opifices adversum alios quovis modò eos in suo jure turbantes jus prohibendi exercent: quia,